Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



et stridor dentium. Multi enim sunt uocati paucy uero electi. Dom.

Fratres. Confortamini in domino: et in potentia uirtutis eius. Induite uos armatura dei. ut possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem. sed aduersus principes et potestates: aduersus mundi rectores tenebrarum harum: contra spiritalia nequitiae in celestibus. Propterea accipite armaturam dei: ut possitis resistere in die malo. et in omnibus perfecti stare. State igitur succincti lumbos uestros in ueritate induti loricam iustitiae. et calcati pedes in preparatione euangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei. in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite: et gladium spiritus quod est uerbum dei. Ad Ephesios. xxi.

Sancto iohanne.

Illo tempore. Erat quidam regulus: cuius filius infirmabatur capharnaum. Hic cum audisset quia iesus aduenisset a iudea in galileam: abiit ad eum. et rogabat eum ut descenderet et sanaret filium eius. Incipiebat enim mori. Dixit igitur iesus ad eum. Nisi signa et prodigia uideritis. non creditis. Dicit ei iesus. Vade: filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni quem dixerat ei iesus. et ibat. Iam autem eo descendente: seui occurrerunt ei. et nunciauerunt. dicentes. quia filius eius uiueret. Interrogabat igitur horam abeis: in qua melius habuerit. Et dixerunt ei. Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit igitur pater quia illa hora erat in qua dixit ei iesus. filius tuus uiuit: et credidit ipse et domus eius tota.

Fratres. Confidimus in domino iesu. quia qui cepit in uobis opus bonum. perficiet usque in diem Dom. xxu. Ad philippenses.
xpi iesu: sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus uobis: eo quod habeam uos corde et in uinculis meis. et in defensione et confirmatione euangelii. socios gaudii mei. omnes uos esse. Testis enim mihi est deus. quomodo cupiam uos omnes in uisceribus iesu xpi. Et hoc oro. ut caritas uestra magis ac magis abundet in scientia et omni sensu: ut probetis potiora. ut sitis sinceres. et sine offensione in diem xpi. repleti fructu iustitiae: per iesum xpm in gloriam et laudem dei.